

**Dissertatio inauguralis chirurgico-medica de meliceria Celsi sive synovia,  
Germ. Gliedwasser. / Quam ... sub moderamine ... Caspari Bartholini ...  
publice ventilandam proponit Reinholdus Wagner.**

### **Contributors**

Bartholin, Caspar, 1655-1738.  
Wagner, Reinhold, active 1693-1695.  
Københavns universitet.

### **Publication/Creation**

[Hafniae] : Typis Joh. Phil. Bockenhoffer, ..., [1695]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eugzhngx>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO INAUGURALIS. CHIRURGICO-MEDICA

DE

# MELICERIA CELSI

Sive

SYNOVIA, Germ: *Gliedwasser.*

Quam

Divino favente Numine

Consensu Amplissimæ Facultatis Medicæ  
sub Moderamine

*Viri Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimiq;*

D. CASPARI BARTHOLINI

S. R. M. Justitiæ Consiliarii, in summô Tribu-  
nali, & Consistorio Assessoris: Medicinæ, Physicæ &  
Anatomix Professoris Regii,

Decani Phil. Fac. Spectabilis.

Pro Gradu Doctoratus

Summisq; in Medicinâ Honoribus ac Privilegiis  
ritè Consequendis

In Regiâ Universitate Hafniensi  
publice ventilandam proponit

REINHOLDUS WAGNER

Regiom. Prof.

Die 12 Sept. Anno 1695. Loco Horisq; solitis.

---

Typis Joh. Phil. Bockenhoffer, Reg. Majest.  
& Universit. Typogr.



A P P R O B A T I O.

**Q**uandoquidem nullus dubitem, quin tantam  
eruditionis atq; industriæ opinionem iusinu-  
abit animis hominum, Dissertatio hæc Clarissimi  
Dn. Candidati *Medicinæ*, REINHOLDI  
WAGNERI de MELICERIA CELSI, ut vel  
sola persuasio tantæ sedulitatis ægros refocillare possit;  
cumq; nulli pepercisse labori, nulli diligentia, ne  
quid in hisce latebris temerè conjectaret, animad-  
verterim, typos publicos mereri,

Hafniæ die 2 Septemb.

censeo.

Anno 1695.

E. BARTHOLIN.



DEO,  
PATRIÆ  
ET  
FAUTO-  
RIBUS.

Exercitium hoc Inaugurale

D. D. D.  
Reinholdus Wagner  
Regiomontanus.




DE  
PATRIAE  
ET  
FAMILIARIS

Exercitium hoc Inaugurale

D. D. D.  
Reinholdus Wagner  
Regiomontanus





I. N. I.

§. I.



anta feri five Lymphæ in Corpore humano est utilitas, tanta necessitas, ut ne minima quidem pars reperiatur, quæ non aliquid feri in se contineat, vulnerataq; reddat; prolixè hoc ipsum per Inductionem omnium partium probante

*Exc. Schenkiô in Historiâ de Sero*

*Sangu. c. IV. quocum conferantur Celeberrimi inclytæ hujus Academiæ quondam Professoris, D. Th. BARTHOLINI Opusc. Anat. Ut & Exc. Beat. Nuckii Ep.*

*Anat.* Ut ut verò ista feri ubiq; in Corpore Animalis sint latifundia, quoad externas partes tamen præcipuè memorabilis ejus in Articulis est sedes. In articulis enim non tantùm illud serum reperitur, quod madore suo ipsos lubricat, & ab *Hippocrate L. de Loc. in Hom. XIV. μύξω* five Mucus appellatur, humor ille viscidus ex serô alterato; sed & alius fluidi magis & lymphidi feri confluxus in eisdem est conspicuus, teste rerum experientiâ atq; autopsiâ anatomicâ, quæ in variis articulorum Vasis multum feri stagnare sæpius observavit. Uti verò reliquos humores per totum corpus variè corrumpi, multorumq; morborum causas existere comperimus ita & de Sero dicendum, quod diversis modis corrumpi, & ad functiones



Animalis s. Hominis per totum Corpus inutile & inidoneum reddi, in eodemq; multorum malorum causa existere queat. notante & Philosopho tam internas quam externas partes à serô male affectô aliquid pati 3. H. A. 19. Meum tamen non est, his angustiis pagellarum omnem illam sentinam malorum à serô in Corpus redundantium exhaurire, sed unicum solùm ejus Vitium hâc vice sum propositurus, quod *juxta Celeberrimum D. Schelhammerum* omnibus antiquis præter Celsum, ac ipso Paræo ignotum, nec à quopiam hucusq; rite explicatum; quia verò meis oculis hæctenus aliquoties visum, hisq; exploratum fuit manibus, placet ad illius causas, harumq; medelam nostras convertere Curas. Grave autem & periculosum hoc vitium, quod Chirurgis multum negotii faceßere solet, Germanis vulgò appellatur *Gliedwasser*; ap. Græcos & Latinos Nomine *Ichoris*, *Hydrathri* aut *Meliceriæ* venit; *Paracelsus* ipsi nomen *synoviæ* imposuit, qui non paucos sequaces invenit.

§. II.

Verum *ICHORIS ET SYNOVIÆ* ambigua est appellatio. Sumitur enim *ICHOR* (I.) pro humore aliquo naturali, uti ap. *Gal. L. 2. § Elem. c. 2.* & alibi passim. In quò sensu quoq;, variis in locis, apud *Th. paracelsum* *SYNOVIA* accipitur; *L. 7. parag, Tol. §. 2. p. m. 189.* *Synoviam* partis esse nutrimentum definit & *L. 1. § Tartaro Tr. 1. § 4.* *Synoviam* gluten appellat. & *Scheunemannus in medic. Reform. c. 5.* *Synovia*, inquit, est lac dulce, quò corporis partes aluntur ac nutriuntur. (II.) Sumitur *ICHOR* pro humore ex *Vulneribus Ulceribusq;* quibuscunq; effluente, uti *Celsus L. 5. c. 24.* *Ex omnibus, ait, Vulneribus Ulceribusq; exit sanguis, sanies & pus. Exit autem sanies s. ἰχὼρ ex Vulneri-*



neribus non nimis recentibus , nec nimis inveteratis H. I. *Conf. Lex. Brun. in Voce Ichoris pathol.* Quæ significatio Ichoris & SYNOVIÆ congruet siquidem pro sero ex omnibus Vulneribus proveniente à *Paracelsô L. c.* vox accipi videtur , quando Synoviam in omnibus membris adesse asserit. *Synovia* , inqviens , *est unde pars nutritur , in Ossibus , arteriis & juncturis est alba , in carne rubra ; atq; hæc macilago omnibus membris principalioribus & aliis inest.* ( III. ) Singulariter ICHOR pro Sero ex articulis fauciatis ulceratisq; profluente accipitur ab *Hildanô L. de Ichore & meliceria acri.* *Ichor* , inqviens , *est seri acris copiosa ad laesos articulos affluxio ; & paulo post, Læsis præterea articulis sequitur Ichor acris.* SYNOVIA similiter apud *paracelsum* ita accipitur , ut in *Chirurg. Maj. To. III.* ubi ex dislocatione artuum , synoviam pronenisse asserit ; & alibi passim. In quô sensu ipsam quoq; definit *Heydentryck Overcamb D. Amstel. im neüen gebänd der Chirurgie C. XV.* quod fit raptura Vasorum lymphaticorum ad articulos & *Exc. Gunth. Christ. Schelhammerus in Epist. Dissert. de Lymphæ ortu & Lymphaticorum Causis.* Quæ tertia ICHORIS AC SYNOVIÆ significatio tantum erit hujus loci. Atq; apud *Celsum & Hildanum* tunc propriè Ichor sive synovia dicitur MELICERIA. Meliceriæ enim vox rectè quidem ab Hildano semper pro humore vitiato accipitur , non omnium partium sed articulorum , quomodo & *Celso L. 5. 24.* definitur , quod sit *sanies , quæ ex malis Ulceribus , ubi Nervi circa articulos læsi sunt , & inter hæc loca maximè ex genibus exeat.* Quâ ratione non ineleganter ab *Hildano* hic morbus vocatur HYDRARTHROS ; idem ICHOR sive HYDROPS ARTICULORUM.



Non autem confundenda est MELICERIA cum MELICERIDE ; Meliceris enim Apostema est, non in fluxu constitutum, sed fixum, quod propriâ Membranâ materiam melli similem continet. Sic & SYNOVIA distingvenda est ab omnibus Ulceribus sinuosis & fistulosis, ex quibus quidem itidem ichor aliquis effluit, sed non istô, quo in synovia modô, ex omnibus Undicunq; fibris, sed certô tramite per aliquem quasi canalem, cujus orificium certum, atq; certa profunditas, callositate & duritie circa sinum aut cavitatem undiq; notabili. Uti etiam distingvenda ab Hydropicorum destillationibus, utpote ex quorum artubus, ruptâ tunicâ, tanta sæpius lymphæ copia profluere solet; quanta vix ex Ulceribus articulorum synoviâ laborantibus eliminatur. Nam synovia solùm de articulis accipitur, & ab aliis Causis tùm externis, tum internis, infra dicendis, originem ducit: cum Hydropicorum destillationes longè alias agnoscant Causas. Similiter differt à panariciô, vulgò der *Wurmam Finger*/ utpote qui extremitates, non verò articulos digitorum, propriè occupat.

§. III.

Cum felicius in Morbi Notitiam, & ad ejusdem Curationem pervenire possimus, sede morbi prius perspectâ; teste *Celsô L. 4. c. 1.* operæ pretium erit ARTICULORUM STRUCTURAM paucis explicare, & quidem illorum, qui per *διάρθρωσις* sunt connexi. Reperiuntur autem in illis tùm partes Communes, tùm propriæ. *Inter Communes* primum locum obtinet CUTICULA, quæ non nisi ex fibrarum capillarum extremitatibus constat. (II.) RETICULUM, quod quoq; ex multis fibrillis, tum ex Vasis lymphaticis & Ungvine conflatum esse



esse Autor est *Excellentissimus* & *famigeratissimus* *Pechlinus* (III.) CUTIS, cujus substantia exterior multis fibris Nervosis obsita constituit papillas Nerveas, interior verò glandulosa varia vasa recipit. (IV.) PINGVEDO (V.) PANNICULUS CARNOSUS, quæ quidem omnia varia obtinere Vasa notum est. *Inter partes proprias* numeramus MUSCULOS Ossium per *διάρθρωσιν* conjunctorum, & ipsa OSSA, atq; horum omnium partes. Quoad *Musculos* observanda primò MEMBRANA MUSCULORUM PROPRIA, cujus fibræ glandulas quasi mucilaginosas constituunt. Porro Corpus ipsum, CARNIS nomine propriè veniens, sive fibræ tum longitudinales (quæ ex sententia *Borelli* intus spongiosæ, vel vesiculosæ *conf. diss. de motu musc. Exc. Joh. Gottsched P. P. Reg.*) quàm transversales membranosæ, in quorum interstitia itidem Varia Vasorum genera, nervosa, Arteriosa, venosa & Lymphatica decurrunt; item TENDINES, qui nihil aliud, quàm fibræ Musculorum unitæ & coarctatæ. Hinc & LIGAMENTA, cum & illa fibris & vasis dotata inveniantur uti & CARTILAGINES. Ipsa deniq; *Ossa*, quæ quoq; glandulis mucilaginosis, sive congerie atq; extremitatibus fibrarum atq; vasorum minimè carere observavit *Exc: Clopton Havers in sua Osteol. novâ.*

§. IV.

Sedes igitur sive subjectum synoviæ erunt ARTUS, sub quibus omnes illas partes, quæ ad constitutionem articulorum concurrunt comprehendimus, non exclusâ ipsâ Cute, utpote cum & ex ejus læsione Synoviam provenisse testetur *Hildanus l. 6. c. IV.* Artus autem differunt: alii *Majores* alii *Minores*: Utut verò



ex Minoribus articulis quoque; synovia proveniat, huic tamen præcipuè obnoxia sunt **GENUA**, quippe non solum multa magnaque; reperiuntur in genibus **Ossa**, sed & circa **Ossa** tendinum multitudinem & magnitudinem hic imprimis animadvertes. Unde etiam sæpè accidit, ut propter tendines, atot & tam magnis Musculis femorum & pedum gummata s. calli circa genua exoriantur.

§. V.

Verum, quænam partium principalem sedem synoviae præbeant, in Controversiam maximè vocatur. Non autem subjectum præcipuum erit (I) **ARTICULORUM CAVITAS**. Neque enim facio cum his, qui ichorem illum articulo læso ingenitum esse perperam affirmant, quin potius ex totò corpore ad articulum læsum confluere probat *Langius in Ep. Med. L. 1. 3.* id quod ex dicendis inferius manifestum reddetur magis. (II) Neque **NERVI** erunt primarium subjectum, quamvis **Celsus** Nervos circa articulos læsos subjectum synoviae esse statuere videatur, uti ex Definitione ejus patet. Verum enim verò, quamvis Nervos in synovia lædi non negemus quippe in omnibus articulis multi nervi concurrunt, & dolor circa tertium ut plurimum diem pungens, stupor item in extremitatibus, maximaque; inflammatio luculentum hujus rei signum præbent; Nihilominus tamen ex Nervis solis synoviam provenire probari nequit, primò quia adhuc incertum an datur **Nerveus s. n. succus**. Spiritus in Nervis dari non negamus; spiritus sub forma **Vaporis s. n.** non sub forma succi, tunc enim quando hicce Vapor calore destitutus in guttas coit **Vappa** sunt non spiritus. Porro, etiamsi daretur tale serum pro vehiculò forte spiritum in Nervis, nervi omnes tantam copiam suppeditare non possent, quanta  
 qui-



quidem in synovia brevissimo temporis spatio profluere solet. Neque obstat, quod virium debilitas, aut partis atrophiam Synoviam subsequatur, non enim à succi nervei profluvio virium debilitatem aut etiam partis atrophiam deducimus, sed magis à succo Nutritivo, qui per fibras sive minima capillaria Vasa extillare debebat in partis nutrimentum: aut à jactura maximâ sanguinis arteriosi, aut quoque ab æstu s. dolore cum synoviâ conjuncto. (III) Nec VASA LYMPHATICA subjectum primum erunt synoviae, quum quicquid habent, habeant vel ab arteriis, vel à Nervis, Accedit, quod in vulneribus articulorum non illico, sed post tertium vel quartum diem synovia exoriatur, uti huic sententiæ plurimorumque Chirurgorum testimoniis suffragatur Celsus L. 5. c. 24. in-  
*quiens: Sanies sive ἰχμὸς exit ex vulneribus non nimis recentibus, nec nimis inveteratis, tunc enim humoribus illi recipiendis idonea sunt.* H. I. Cum tamen si Vasa lymphatica essent præcipuum subjectum, illico ex Vulneribus recentissimis maxima copia feri profluere deberet, quandoquidem ipsa in Vulneribus omnibus cædi necesse est, quod statim infra Cutem prorepant, uti addiscere licet ex Nuckii adenographiâ novâ. Et nobiscum facere quoque videtur Bartholini Nostri assertum in *Defens. Lymphaticorum contra Riol. c. VII. inquit: Ex articulorum corruptorum & ulceratorum copioso humore non putavi demonstranda esse Vasa lymphatica, sed scire volui à peritioribus an humor in articulis hinc derivetur, non ille ulceratorum, sed naturalis de quo aded solliciti sunt Chirurgi ne effluat ex vulneribus & motum articulorum impediatur.* H. I.



§. VI.

Ut igitur subjectum hujus Morbi pateat, tenendum, non posse illud ita uni parti præcipuè tribui, quum plures partes ad generandam synoviam concurrant. Synoviam enim esse à sero Sangvinis facile concedetis, qui serum, per V. S. sangvini innatans, ejusdem esse naturæ, ejusdem coloris similisq; saporis, & consistentiæ deprehendet, utrumq; enim igni expositum in gelatinam abit. Serum autem cum ex totâ Massa sangvineâ sit derivandum, patet sangvinem esse fontem sive primam originem, unde serum confluat. Quò ipsò patet vias, per quas sangvis affluit, hic considerandas esse, istæ autem, uti notum, sunt imprimis ARTERIÆ in genere, in specie quoad artus, in brachiis axillares, in pedibus verò crurales. Ab arteriarum autem sangvine seroso suum serum habent & fibræ in articulis, & vasa Lymphatica, & venæ, & nervi. De Lymphaticis enim notum est, quod post crebras in arterias injectiones, aliqua saltem encheiresi adhibita, circa omnes totius corporis partes miris modis turgescant *conf. Nuckii Aden. Cur. c. 4.* Atq; de Sangvine Venoso, utut *αὐτοψία* me aliosq; doceat, quod per V. S. in synoviâ emissus ingenti sero copiâ abundet. Non tamen propterea à venis, sed ab arteriis synovia derivanda; quod si enim ex Venis proveniret, non sub solâ formâ sero apparere posset sangvis, cum Venæ non solitarium, sed sangvini mixtum revehant serum, ideoq; sangvinolentum in synoviâ esset; cum contra ea purum putum aquei coloris serum primò in eâ deprehendatur, quod tandem caloris virtute in gelatinam abire solet. Præterquam quod etiam in sangvine arteriosò plus sero redundet, quam in Venoso, id quod *Severinus in Epidoch. I. de Aquâ pericardii §. 8. ex-*



experimento satis comprobavit. Licet id post, V. Sem. in scatellis etiam deprehendi queat; In postremis enim scatellis, quibus sanguis arteriosus magis excipitur plus feri animadvertes. Neque denique deest ratio, Cur in arteriis plus feri contineatur, quam in Venis. Notum enim est, quod arteria Majorem sui partem non in Venas, sed in Lymphatica quoque transmittant, sicque necessario minorem in Venis adesse hujus feri copiam statuendum erit. Quod igitur *Arteria* praecipua synoviae sint sedes, utpote ex quibus serum (non quidem immediate, sed mediantibus fibris earumque poris) proveniat, ex istis putamus manifestum esse redditum; ut ut non negemus & Venas & Vasa lymphatica atque Nervos suam, quam ab arteriis habent, ad synoviam symbolam conferre; quod quomodo obtingat, sequentia declarabunt.

§. VII.

Inventa hujus Morbi sede ad Causas investigandas progredimur. Causae autem aliae sunt externae, aliae internae, eademque vel remotiores vel proximiores. Causae externae remotiores igitur Synoviae sunt Varii Casus, vulnera, Contusiones, fracturae, dislocationes, & si quae alia articulos laedere possunt. Causae internae remotiores sunt Cacochymiae vel totius corporis, vel quoque partium circa articulos. Causis externis proximioribus, quae circa laesas aut exulceratas partes concurrere possunt, annumeranda quoque sunt Medicamenta male adhibita, aer item frigidus &c. Internae vero Causae omnes ad Circulationem sanguinis impeditam circa articulos sunt referendae: Ex stagnante enim in Vasis ob Obstructionem sanguine proximè Synovia omnis circa artus exoritur. Nimirum cum sanguis arteriosus ad laesas partes affluit, neque



à Venis aut Vasis lymphaticis ritè excipi potest, occlusis, per quæcunq; aliena, orificiis arteriarum, sive à compressione, sive à Contusione, sive à Medicamentis, sive ab aëre externò, quomodocunq; ; sanguis in arteriarum extremitatibus aut etiam in Venis stagnans, partim per fibras Musculorum ac Membranarum, partim per Vasa Lymphatica synoviam destillare facit. Atq; hoc nostrum assertum sequentia experimenta plane evincere possunt: Non enim tantùm post crebras in arterias injectiones, ligatis Venis, & aliâ aliquâ saltem adhibitâ encheiresi, in omnibus fere totius Corporis partibus, Lymphaticorum ingens copia sese prodit; ita e. g. pro detegendâ separatione feri in Renibus, opus solum est obstructione aut ligaturâ emulgentis Venæ, ad quam ingentem copiam feri per Ureteres exiisse, ex variis experimentis circa hanc rem institutis, *Inclytissimi Viri, DN. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI, Phil. & Med. Doct., Historiarum & Medicinæ Prof. Regiom., ut & Imp. Leop. Nat. Curiosorum Academiae Socii, Præceptoris & Patroni mei Estimatisimi, sæpius vidi; quòcum conf. B. D. D. Nuckii Adenogr. Curios. c. l. Sed & Exc. Richardus Loverus L. de Cordæ C. II. hoc ipsum experimento sequenti confirmat. Haud pridem, inqviens, Venas jugulares, subductò iis filò, in Cane artè ligaveram, & post aliquot horas partes omnes supra ligaturam mirè intumescebant, & intra duos dies Canis quasi anginâ suffocatus interiit. Totò hóc tempore non solùm lacrymæ copiosius fluebant, sed & plurima saliva ex ore fluxit, non aliter quam si mercuriò assumptò fluxus ille concitaretur. Post obitum Cutem ejus à partibus tumefactis separavi, atq; expectavi, ut partes tumefactæ sanguine extravasatò turgerent.*

*sed*



*sed aliter omninò evenit , siquidem nullum vestigium aut Colorem ferè sanguineum observare potui , sed Musculi omnes & glandulæ serò limpidò maximè distentæ & admodum pellucidæ apparebant H. I.* Si propriam hic citare fas sit experientiam , & cum Cupressis viburna comparare : ego circa hanc rem experimenta facturus in Canè vivò nuper ligavi Venam dextram jugularem , alterò die , cum nullam salivam provenisse viderim , nisi quod ex oculò prius à me læsò parum lymphæ promanaret , alteram quoque venam jugularem sinistram ligavi , ( satis gnarus , quod unius lateris Vena jugularis cum alterius lateris venis communicaret , adeoque adhuc liberum Circuitum sanguini præberet , ) verum ne sic quidem aliqua salivatio successit. Tertiò demum die Canem satis adhuc vegetum vivum dissecui , atque venas jugulares versus Cerebrum turgidas , versus Cor autem planè exinanitas deprehendi. Separatà verò circa Collum cute , innumera Vasa lymphatica Cuti subjacentia se prodebant , quæ miris modis se amplexantia partes membranaceas sub cute jacentes ultra minimi digiti crassitiem turgidas fecerant , hæc incisa ingentem copiam Lymphæ reddebant. Ad alia dein Viscera mea cura conversa in Hepate quoque circa Venam portæ , & in Liene circa vasa brevissima plurima & satis turgida inveni lymphatica : in artubus quoque unum & alterum lymphaticum venis adjacebat , etiamsi intra tres dies nihil ferè Cibi aut potûs assumpserat. Imprimis notabile erat receptaculum Chyli , quod non chylò sed lymphâ maximè turgebat , & præter vesiculas , ductui thoracico adjacentes , vasa anatinam pennam adæquantia obtinebat , ipseque ductus thoracicus in mediò bifidus , non chyli , sed puræ hujus lymphæ insignem copiam continebat. Hoc autem non aliunde,



de, nisi ab impeditō sangvinis ab arteriis in Venas Circui-  
tu provenisse, quilibet videt.

§. VIII.

Sangvis itaq; in Vasis arteriosis stagnans, ad Venas  
sangvinem solitō more per circulum dimittere nequit,  
quod & hæ simul aliquō modō obstruantur, ut sangvis  
per illas liberè non commeat, quippe cum sanguineum ad  
Venas Vulneratas delatum itidem stagnare cogatur, par-  
tim ob causas memoratas externas, partim etiam ob in-  
ternam à negato ad læsionem Calore Nativo; præterquam  
quod Venosus sangvis naturâ suâ crassior, facilè coagula-  
ri fit aptus, ut in scatellis post V. Sem. apparet. Quod-  
cunq; sangvinis itaq; ad Venas ab arteriis transmittitur,  
in eisdem refrigeratum coalescit, atq; ita serum quasi per  
colum aut per latera dimittit: Atq; hōc modō EX VE-  
NIS quoq; aliquid Ichoris in Synovia exstillare contingit.  
Stagnante itaq; & in Venis & in arteriis sanguine, cum se-  
rum per venas obstructas unâ cum sanguine venosō commo-  
de revehi nequeat, idem ad VASA LYMPHATICA  
majori copiâ contendit, ex iisq; demum cum impetu  
erumpit. Accedit, quod in Vasis lymphaticis serum  
non ita coaguletur, uti quidem in Venis sangvis, id quod  
ex sero, in scatellis ad frigus diu liquidō manente, ani-  
madvertere licet. Neq; enim obstat, quod Venæ & Lym-  
phatica naturaliter revehant, atq; arteriarum tantum mu-  
nus sit humores ad partes apportare. In præternaturali  
enim morbidōq; hōc synoviæ fluxu optime fieri potest, ut  
serum propter sui stagnationem, motumq; in vasis venosis &  
Lymphaticis impeditum per eadem exitum molliatur. Atq;  
pro Venis militant quoq; experimenta *Disq; Hist. de Re.*  
*Veterum Anat. Exc. & Famigeratissimi D. Hartmanni in*

*Disq;*



*Disq; de P. V. A. in Spec. I. §. 13. allata. De Lymphaticis conf. ejus Introd. in A. M. C. IV. §. 8. Nec NERVI penitus excludendi: Hi enim, ob defectum Caloris nativi in parte affectâ, cum ipsorum spiritus in fatuum humorem coaguletur p. n., etiam ad synoviam concurrent, illum humorem serosum simul ex Vulnere eliminantes.*

§. VIII.

Nec obstat nobis *Hildanus*, qui *Causam synoviæ* dolorem maximum esse asserit C. XI. l. c. *Dolorem*, inqviens, *qui vulneratis articulis supervenit præcipuam esse Meliceriæ Causam, satis demonstratum fuit.* Hinc C. 2. l. c. demonstraturus, Cur *Ichor* hic ad articulos præcipuè, & non æq; ad alias partes vulneratas feratur, illud ex læsione nervorum, & attractione humorum derivat, dicendô: *Quia nervi in articulis tam copiose concurrunt, ut vix detur Vulnus in articulo ubi non sit læsus Nervus, aut nervosum quid; hinc sequitur ingens dolor, qui humores ex vicinis locis ut cucurbita ad se trahit, dolorem sequitur inflammatio, quæ partem debilitat, ut huic humori resistere nequeat, illumq; in pus convertere valeat.* H. I. Verum utut læsionem Nervorum circa articulos symbolam suam conferre ad synoviam dixerimus: Utut quoq; *Celsus* & *Galenus* ex dolore inflammationes & fluxiones subsequi affirmant. *Celsus enim L. V. c. 26. ubi, inquit, læsus est Nervus, vel Cartilago, vel Musculus, & præsertim si partes maximè sensibiles fuerint læsæ, doloris ratione facillime inflammationibus tentantur.* Et *Galenus, de Comp. Med. S. Omnis dolor inflammat, excuit, irritatq; & fluxionibus occasionem præbet, etiam si purum ab excrementis sit totum Corpus.* H. I. Nihilominus tamen cum jam supra synoviam ex læsione Nervorum

ex



ex accidenti tantum provenire probavimus, tantum quoque aberit, ut dolor *Causa* dicenda *synoviae*, quin potius jam *Causa* praesente, nempe sero, circa *fibras laesas* stagnante, & vel *quantitate* vel *qualitate* peccante, tanquam effectus subsequetur. *Paracelsum* quod attinet, hic *Causam synoviae* esse *Chirurgorum ignorantiam* passim docet: Quocum facere quoque videtur *Hildanus c. 2. l. c.* *Meliceriae Causa externa est Vulnus, Contusio, interna vero Cacochymia, vel Plethora.* *Paracelsus tertiam addit Causam videlicet negligentiam & inscitiam Chirur- gi, quam ego Causae internae praefero.* *Etiam si enim Corpus cacochymicum vel etiam plethoricum fuerit raro tamen Ichorem consequi videmus, si vulnus a rationali Medico aut Chirurgo ex arte curatum fuerit.* H. I. Verum enim vero quamvis utique in *Vulneribus articulorum* occasionem praebere possit *Synoviae Chirurgus*, dum *Vulnus imperite tractat*; nihilominus tamen adhuc alia ex rei naturam proximior causa inquirenda fuit, quae proxime hunc effectum produceret, non ex accidenti, per errorem *Chirurgi*, sed per se, etiam si nullus *Chirurgus* accesserit, quando aegroti ipsius *Cacochymia* in *Causa* fuerit. Fatendum tamen a *Chirurgis imperitis* causam *Synoviae* quandoque adaugeri non uno modo. Aliquando enim, in his *articulorum Vulneribus* sanguinem ex iis profluentem nimis adstringentibus remediis justo citius sistere conantur, sicque inflammationi & obstructioni, hincque a credi- ni occasionem praebent. Aliquando intermissis *Digesti- vis* statim ad *Vulneraria* descendunt, atque ita *Meatus vulneris* adstringendo, ejusque digestionem impediendo, putredinis tandem & hujus *Morbi Causam* suppeditant. Hinc *Hildanus C. III. I. c. Clauso Vulnere in superficie,*  
❧ pu-



Et putrescente Materiâ in profundo , incalescit , fitq; acris , dolorem excitat , atq; serosos humores attrahit , ex quò tandem sequitur Hydrarthros periculosissimus.

H. I. Aliquando etiam pus citò maturatum nimis diù in Cachecticis Corporibus detinent , id quod etiam per Contagium synoviam facile causabitur. Quomocunq; autem , sive per errorem Chirurgi , sive ex Medicamentis , sive ex circumstantiis aliis quibuscunq; originem sumpserit Synovia , SANGVINIS IMPEDITUS MOTUS Synoviæ Causa erit : Ex circulatione enim impeditâ , feri profluentis quantitas & qualitas dependet , de quibus jamjam in sequentibus paucis agendum.

§. X.

Cum & Quantitatem & Qualitatem feri in Synoviâ peccare animadvertamus ; aliquando enim parvus adest humorum affluxus , aliquando verò magnus , item nunquam synovia mitis est admodum , citra ullum insignem dolorem ; aliquando verò est maximè dolorifica , cum aliis gravissimis symptomatibus conjuncta ; oportet indagare in Causam istiusmodi Quantitatis & Qualitatis. Causa Quantitatis vel est Temperamentum phlegmaticum aut plethoricum , vel diæta , aliquando etiam Casus externus ut nova articulorum vulneratio aut exulceratio ; item obstructio aut inflammatio magna. Causa autem Qualitatis à Temperamento Cholericò & Melancholico , sive Cacochymico dependet. Prouti enim serum vel mite vel acre fuerit , in cujuslibet Individui sanguine , ita quoq; synovia vel Mitis vel dolorifica erit. Non solum autem à totius Corporis conditione , utpote quando est Cacochymicum aut scorbuticum , & acidis aut salinis particulis vellicantibus abundat , serum istam acrimoniam obtinet , sed aliquan-



aliqvandò etiam à dispositione partis affectæ , quando diuturna obstructio adest , & hinc inflammatio , aut pars illa alium vitiosum humorem jamdiu imbibit. Utut enim nullum fortè serum omni sale sit destitutum , cujus rei experimentum sumi potest , si serum ex *V. Se.* torreatur , atq; tostum igni injiciatur , instar salis crepitum edet : Certum tamen est , prouti Corpus magis atq; magis est scorbuticum , uti vulgo dicitur , quod ita abundet quoq; salinis ejusmodi acribus particulis , uti hujus rei periculum fieri potest in serò post *V. Sem.* talium Corporum dictò modò præparatò. Et hæc feri aciditas quandoq; in Synovia tanta est , ut Ligamenta , Venas , Nervos & Ossa erodat. Uti quoq; hoc observavit *Hildanus C. V. I. c. Humores* , inqviens , *serosi incalescunt , putrescunt , maligni & acres fiunt , tandemq; ligamenta , appendices , cartilaginee , imò nonnunquam & ipsa Ossa erodunt.*

§. XI.

Ex hujusmodi Causis sive in Corpore , sive in parte affectâ , varia symptomata dolorum , febrium , Convulsionum , prout partes læsas artuum magis magisque afficiunt , exoriri solent. Positis enim istis Causis ponuntur etiam seqventes effectus , ut quod propter Nervorum læsionem observetur Stupor , vel si nervus planè abscissus fuerit , Motus & Sensus abolitio , hinc propter impeditum motum feri & sangvinis , intumescencia partis & inflammatio , hinc feri acredo , dolor gravissimus , inquietudines , vigiliæ , febris , aliaq; plurima symptomata. Carnis deniq; lividæ hyperfarcosis sive spongiosa excrementia , ex quâ tandem Crudum & tenue serum sive Synovia profluit. Atq; ex his signis antecedentibus synoviam



viam imminere concludere poteris ; Præsentem verò ex nimiò fluxu feri circa articulos facilè cognosces.

§. XII

Ex Causis porro Quantitatis & Qualitatis derivanda est Prognosis. Utut verò omnis synovia sit Gravis & periculosus affectus , plurimorumq; gravissimorum symptomatum scaturigo , juxta *Hildanum C. V.* Gravis tamen imprimis erit , si vel serum copiosum , & nimis tenue , vel lividum , pallidum , nigrum , simulq; glutinosum , aut fœtidum & acre eruperit , uti videre est apud *C. Celsum. L. 5. c. 24.* Ex profusione enim nimiâ feri evenient atrophia & aridura partis , aliaq; gravissima mala. Hinc maxime observandum , quod , si Ulcus in synovia , ( vel Vulus quodcunq; fuerit , ) reddatur aridum , adeò ut nihil egeratur vel feri vel puris , certò certius gangræna & Sphacelus insequantur , tandemq; ipsa Mors , id quod imprimis ex imperitâ aut intempestivâ Curatione obtingere poterit. Quapropter in senibus ulcera ob siccitatem calorisq; defectum difficulter sanari , Galenus autor est , in *Comm. in L. 3. A. 31.* Hæcticorum par est ratio. Quod si verò in Synoviâ magis concoctum serum tandemq; laudabile pus appareat , spem sanitatis adesse scies. Unde *Gal. Com. in L. 5. A. 22.* *Ulceris , inquit , maximum est ad sanitatem indicium , Pus est Medicamen , quod habet id faciendi facultatem.* Contra *Hildanum* tamen paucis notamus , quod junctura post synoviam non ita ut plurimum rigida & immobilis permaneat ; siquidem articulos digitorum , brachii , & genuum læsos , atq; ex synoviâ laborantes , absq; ulla Motûs privatione curatos à *Parente meò H. Chir. Reg. per D. G. vidi.*

C

§. XIII



## §. VIII.

Ad Curationem accessuri respicimus *Causam*, utpote cum hâc sublatâ tollatur quoq; effectus. Erat autem proxima *Obstructio*, tum feri *Quantitas* & *Qualitas*. *Quantitas* igitur feri excedens minuenda. *Qualitas* ejus vitiata alteranda. *Obstructio* tollenda, *Motusq;* sanguinis restituendus in integrum. Consequi hæc omnia ex votô possumus *Chirurgiâ*, *Pharmacîâ* & *Diætâ*. *Chirurgia* in hõc affectu, ut usitatum, ita divinum auxilium præbet *Phlebotomiam*; Non enim tantùm nimiam *Quantitatem* imminuet, sed & cum in *synoviâ* ut plurimum maxima adsit *Inflammatiõ*, & hâc præsentè nullum vulnus curari possit, *Venæsectio* locum maximè obtinebit. Hinc *Chirurgorum* quorundam experienciâ constat, in *Synoviâ*, aliisq; *Vulneribus* & *Ulceribus* profundis, *V. Sem.* reliquis omnibus frustra tentatis præstantissimum remedium exhibuisse. Nec ratio horum *Experienciæ* contradicit. Cum enim in venis vulneratis, vel aliõ quocunq; modo læsis sanguinem stagnare supra probaverimus; ex tali verò stagnatione sanguinis, vasorum extensio & inflammatiõ subsequatur, hinc *V. S.*, aliquando in ipsâ quoq; parte affectâ prudenter instituta, hanc morbi *Causam* optimè tollet.

## §. XIV.

Ex fonte *Pharmacertico* varia quoq; externa & interna conducent remedia, quæ tùm sanguinem stagnantem rarefacere, tùm contra *Quantitatem* & *Qualitatem* feri pugnare poterunt. Inter talia verò externè adhibenda erunt (1) *Inungentia* sive *Lenientia* e.g. *Unguenta Digestiva* dicta, ex *Theribnthinâ*, *Gummi Elemi*, vitellis ovorum, *Croco*, *Melle Rosarum* aliisq; confecta. *Qualia* passim inveniuntur  
apud



apud Hildanum & Clarissimum Muys. Cavendum tamen ;  
 nè illis admisceantur pingvia , imprimis si ossa in synoviâ  
 denudata: à pingvedine enim ossium angustos poros obstrui,  
 sicq; variè corrumpi , quotidianâ Chirurgorum experien-  
 tiâ constat. (II) Placentulæ quoq; ex oc. cancri aliisque;  
 absorbentibus, ad acrimoniam feri absorbendam Ulceribus  
 applicatæ egregiæ erunt. Præterea non unius generis bal-  
 samica & volatilia alcalia parti læsæ applicanda erunt ex  
 Myrrhâ , Aloe, Scordio, Rutâ, Camphorâ , Therebinthi-  
 na , Opobalsamo &c. quorum hic condere catalogum nec  
 institutum fert , nec temporis ratio permittit. Sed acci-  
 dit aliquando , ut in similibus magnis articulorum Vulnè-  
 ribus , nullus observetur tumor , sed ex nimio Lymphæ  
 profluvio partis atrophia , vires quoq; prostratæ adsint:  
 hinc adstringentia etiam in tantum locum obtinebunt , hæc  
 tamen cautelâ, ut , si ex illis inflammationem subsequi vi-  
 deris , ad emollientia cura tua illicò convertatur. Hinc  
 nec Unguentum Ægyptiacum , nec fuscum Felicis Wirtzii  
 in tali casu ommittenda erunt , quæ tamen variis balsami-  
 cis & lenientibus pro diversitate Circumstantiarum tem-  
 perari poterunt. Uti non malè plurimi Chirurgorum  
 Unguentum Ægyptiacum Unguento Digestivo mixtum  
 ulceribus hisce applicare solent , imitantes *Galenum* ,  
 cui suò jam tempore Adstringentia Digestivis miscere in  
 usu fuit *conf. L. de C. M. § 6. de L. aff.* Nec Epithe-  
 mata Defensiva ex Vinò aliisque speciebus adstringentibus  
 circa partem affectam calidè applicanda , tali in casu in-  
 termittenda erunt. Interna iterum prout serum vel  
 Quantitate vel Qualitate , vel utroq; modò peccabit ,  
 variabunt Remedia. Non verò Purgantia Draastica adhi-  
 benda , quippe quæ inflammationi sanguinis , intensiorem



adhuc calorem adderent , variaq; synoviæ symptomata , ut anxietates , animi deliquia , febrim &c. sangvinem magis turbando , auferent ; quin potius Clysteres , hinc lenia purgantia , imprimis cum Mercuriô præparata , ex usu erunt , utpote quæ contra Quantitatem non minus , ac Qualitatem feri optimè militabunt. Ex Diaphoreticis & Diureticis conducent Infusa & Decocta Lignorum cum Rhabarbaro , aliaq; tam fixa , quàm volatilia , quæ pro dolorum , insomnii , aliorumq; symptomatum diversitate misceri poterunt Opiatis , Castoreatis &c.

§. XV.

Agmen tandem claudit Diæta ; quæ sit humectans & tenuis. Aer vitetur frigidus. Motûs corporis & animi perturbationum ratio habeatur diligentissima , ut & reliquorum omnium , quæ in numero rerum , vulgò , non naturalium habentur : Sic symptomata causis supradictis sublatis facilè quoq; cessabunt , eorum verò seriem longiore pertexere filo , Disputationis modus non finit , alii commodiori tempore itaq; **NUMINE GRATIAM, AT-  
QVE VITAM CLEMENTISSIME SUP-  
PEDITANTE**, hæc reservamus.

**SOLI DEO GLORIA**



**CORO-**



# COROLLARIA.

I.

Synovia est Morbus, Symptoma atq; Causa Morbi.

II.

Chirurgica malè à Medicâ separatur.

III.

Asthma Remediis externis felicissimè curatur.

IV.

Lues Venerea internis, nullis externis opus habet remediis.

V.


In Anatomicis multa invenienda restant e. g. de Circulatione Sangvinis quomodò fiat.

VI.

Balsamationem Cadaverum qui rite novit, sphacelata Membra in ægris diutius conservare novit.

VII.

Omnis Sanitas atq; Morbus in Nutritione consistit.



Cla-



Clarissimo atq; Experientissimo Machaonis Filio

DN. REINHOLDO WAGNERO

Cùm pro obtinenda Doctorali Mitra de *Meliceria* esset disserturus die 12 Sept. 1695.

Felicia quæq; ita apprecari voluit

Sixtus Aspach

S. S. Theol. Stud. & Philos.  
Baccal.

**Q**ui vanos, Præclare, tuos WAGNERE, labores  
Dixerit, hic vanus vel vagus ipse foret!  
Seria curâsti, mala dum *Meliceria* curæ,  
Qvi peritura foret non reditura, fuit  
Heu! quoties miserum distorquet corpus *Hydarthrus*,  
Cùm premit articulos Conglomeratus *Ichor*.  
At Medicâ pergrata manu Melimela ministras,  
Et *Meliceriacum* pellere virus amas:  
Mellea dum promis, seræ *Meliceria* ceræ  
Illa tuos titulos officiosa dabit.  
Ex uno nam plura patent, devictus *Hydarthrus*  
Te reliqvas Hydras vincere posse docet.  
Salve igitur nostro Phœbo Gratissima Phœbi  
Proles, & meritum suscipe rite Decus!  
Ecce! Machaonius cinget tua tempora Splendor,  
Omne qualis eras, Nomine talis eris;  
DOCTOR eris, nam Doctus eras, sic Gloria Doctos  
Edocet egregiâ fronte ferire polum.  
Quid moror? alta petis, votô comitabor euntem:  
I pede felicî, quò Deus ire jubet!

